

sonæ, quàm dignitatem exhibendam, quod utique Simonia caret, & non tantùm licitum, sed & obligatorium est, arg. cit. c. gravem, 15. de Jur. jur. junctò Concil. Trident. Sess. 24. de Reform. c. 12. & c. Ego N. Episcopus 4. de Jur. jur. ubi formula hujusmodi Homagii & professionis præscribitur.

5 Nec valet obijcere contra sensum Regulæ, quòd cit. c. Episcopus 4. de Jur. jur. in forma Homagii & professionis Episcopis ibidem præscriptæ, inter alia Episcopus etiam ita juret, & se obliget: Legatum Apostolicæ Sedis, quem certum esse cognovero, in eundo & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo; quæ temporalia esse nemo dubitat. Resp. enim, Episcopos ad præfata Legatis Apostolicis præstanda alias jam de jure obligatos esse, consequenter non nisi ea, quæ de jure debita, & juri infunt, promittere: quæ autem sic infunt, in Juramento exprimi, & à re-

cipiente spiritualia sine labe Simonie promitti possunt c. Significasti. 4. de Elect. & ibi Gloss. v. conditione. Barb. ibid. n. 2.

Queritur II. An, & quas fallentias habeat Regula XI. Resp. Docere quidem aliquos hanc Regulam in Feudis fallere, utpote propter quæ etiam Clerici Homagium propriè tale Domino directo præstare possunt & debent arg. c. Ceterum 5. de Judic. & c. Ex transmissi. 6. de foro compet. Verùm quia feudatarii Clerici Homagium non præstant pro re spiritali, sed pro temporalis, pro bonis videlicet temporalibus, Clerico sive regulari, sive seculari, seu eorum Ecclesiæ aut Monasterio in feudum concessis, indeque agunt, ad quæ alias de jure tenentur, contra Regulam nostram minime agunt. consequenter in casu feudi Regulam fallere dicendum non est: de cuiusmodi Feudis amplius diximus lib. III. Tit. XX. §. 2. num. 51.

## CAPUT II.

## De Regulis Juris in Sexto.

## REGULA I.

Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè finè institutione Canonica obtineri.

## SUMMARIUM.

- 1 Quid? & quotuplex sit Beneficium?
- 2 Institutio beneficij alia propriè talis & strictè accepta:
- 3 Alia latè sumpta.
- 4 Latè sumpta alia collativa, seu verbalis: alia corporalis seu realis, quæ etiam Investitura dicitur: alia autorizabilis.
- 5 Institutio Canonica quid?
- 6 Quis sit verus sensus Regulæ?
- 7 Declaratur exemplis ex Jure desumptis.
- 8 Beneficium obtineri nequit per liberam in alium cessionem, vel mutationem cum illo privatâ auctoritate.
- 9 Solvitur obiectio.
- 10 Regula fallit in casu, quo Papa dispensat. Papa potest in toto Jure dispensare. Ibid.
- 11 Fallit secundò secundùm aliquos in casu præscriptionis.
- 12 Probant id ex Jure, & num. seq.
- 13 At ex Regula Cancellariæ Apostolicæ de Trienniali.
- 14 Secundùm alios nequit beneficium præscriptione obtineri. Probant id ex ratione & Jure: & duobus seq.
- 15 Solvunt argumenta contrariarum & seq.
- 16 Respondent ad Regulam Cancellariæ de Trienniali, eam in foro interno non procedere.
- 17 Oportet concordare Jura Juribus. ibid.
- 18 Utraque sententia habet sua fundamenta.
- 19 Formalia Regule Cancellariæ offeruntur.
- 20 Verus est, Regulam in utroque foro procedere;
- 21 Si debita ad sint conditiones.
- 22 Papa per Regulam derogavit Juri communi.

- 25 De Jure id possimus, quod licitè possimus. Uterior ratio pro utroque foro.
- 26 Respondetur ad argumenta contraria.
- 27 Præter alias conditiones requiritur bona fides.
- 28 De aliis requisitis remissivè.

Queritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis genuinus illius sensus sit? Antè Responsum notum supponimus priùs ex lib. III. Tit. V. de Præbend. & Dignit. quid, & quotuplex sit beneficium: siquidem juxta dicta ibidem. 6. Beneficium Ecclesiasticum propriè dictum est Jus perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis propriè officium spirituale, auctoritate ecclesiasticâ constitutum; quæ definitio num. 7. & seqq. ibidem plene declaratur. Beneficium sic definitum multiplex est, veluti Episcopatus, Abbatia, Præpositura, Decanatus, Personatus, Canonicatus, Parochia, Vicaria perpetua, varia alia beneficia simplicia &c. de quibus cit. lib. III. Tit. V. §. 2. & 3.

Notum supponimus ulterius ex Tit. VII. de Institutione. §. 1. quid, & quotuplex sit Institutio: Hæc enim juxta dicta ibidem n. 2. latè & propriè seu strictè sumi potest. Propriè sumpta est concessio beneficij per Superiorem Ecclesiasticum facta alicui ad præviam præsentationem Patroni: prout cit. loc. n. 3. & 4. amplius diximus.

Institutio latè sumpta comprehendit sub se omnem modum, quo legitime & canonicè confertur & acquiritur beneficium Ecclesiasticum sive per electionem ritè celebratam & confirmatam: sive per postulationem admittam: sive per præsentationem à Patrono factam cum Institutione subiecta: sive per liberam collationem: sive per permutationem

mutationem interveniente legitima auctoritate. Et de hac Institutione in lato sensu sumpta intelligenda venit Regula nostra uti loc. cit. §. 1. n. 1. jam diximus & probavimus.

Ubi etiam nu. 3. & seq. ulterius diximus, probavimus, & explicavimus qualiter Institutio adhuc sit triplex, collativa, nempe, corporalis seu realis, & autorizabilis. Collativa est (quam alii etiam verbalem appellant) per quam unò ex num. præc. dictis modis ritè confertur beneficium. Corporalis, seu realis est ipsa inductio in possessionem beneficij, quia mediante illa post jam factam Institutionem collativam seu verbalem datur vera realis possessio beneficij priùs legitime collati, quæ etiam Investitura seu Installatio vocatur. Autorizabilis est, quæ confertur cura animarum in beneficio curato.

Porro Institutio debet esse verè canonica: id est, juxta præscriptum SS. Canonum facta; sicut enim legitimum dicitur, quod legitime conforme est, sic Canonicum vocatur, quod juxta SS. Canones fit. Requiritur autem SS. Canones ad Institutionem Canonicam tria, videlicet ut fiat sine vitio conferentis, recipientis, & formæ: seu ut in conferente beneficium adsit legitima potestas, sive jus conferendi illud: & in recipiente habitus, seu ne sit inhabilis ad recipiendum beneficium: ac ut debita à Jure, vel consuetudine aut peculiari locorum statuto præscripta servetur forma, prout amplius diximus loc. cit. num. 10. & seqq. Quænam autem ad quavis Institutionem canonicam requiratur forma, quis gaudat potestate eligendi, postulandi, beneficium conferendi &c. & quinam habiles vel inhabiles sint ad illud recipiendum plene diximus lib. I. Tit. V. de Postulata. item Tit. VI. de Electione. Tit. XIV. de atate & qualitate præsentandorum. Item lib. III. Tit. V. de Præbend. & Dignit. His præsuppositis,

Resp. ad questionem num. 1. postiam: Regula I. intelligenda est de quovis beneficio propriè tali, & Institutione latè quidem sumpta, semper tamen verè canonica, ita ut verus ac genuinus illius sensus sit: Nullum beneficium propriè dictum licitè obtineri potest sine Institutione verè canonica, seu juxta Canones facta, tali nempe, in qua nec ex parte conferentis, nec ex parte recipientis beneficium, nec ex parte forme reperitur vitium seu defectus. Ratio est; quia Institutio canonica quasi ostium reputatur, unde legitimum patet accessus ad beneficia ecclesiastica; per quod ostium si quis non intrat, & cui verus officarius, id est potestate beneficium ecclesiasticum conferendi præditus, & Ecclesiæ Prælati, servatâ formâ & Regulis Canonicis, non aperit, ille aliunde ascendit, & tanquam fur ac latro reputatur Joan. 10. uti cum aliis in hæc Regulam benè discourrit Vivianus. Aliam, eamque solidam ex Jure assert rationem Strein in hæc R. g. nu. 3. quia alias si beneficium, & fructus ex bonis Ecclesiasticis sine Canonica Institutione & Jure requisitis obtineri possent, plurime in Ecclesiâ perturbaciones, imò ruina sanctæ Religionis oriretur. Can. quoniam invest. 13. can. 16. §. 7.

Declaratur sensus Regulæ exemplis ex Jure desumptis: sic enim 1. quia ex parte conferentis defectus est, ab excommunicato vel suspensio beneficium obtineri nequit, cum potestate conferendi illud, licet alias sibi competente, tamdiu careat, quamdiu excommunicatus existit. arg. c. Consequente. ib. de offic. Judic. ord. & c. Novis. 4. de Reiffestuel Jus Can. Tom. VI.

his, quæ sunt à Prælat. 2. quia ex parte recipientis defectus est, beneficium obtinere non possunt illegitimè nati, infames, hæretici, infideles, uxorati, bigami, debita ætate carentes, &c. quia hi omnes de jure inhabiles sunt ad recipiendum beneficium, uti jam diximus lib. 1. Tit. XIV. de atate & qualitate præsentandorum. Ubi n. 2. universalem attulimus rationem ex Epist. S. Clementis ad S. Jacobum Fratrem Domini scripta, & relata can. Tales 4. dist. 23. illis verbis: Melius est enim paucos habere Ministros, qui possunt dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles. 3. quia ex parte formæ est defectus, si præscriptus modus à Jure c. quia propter. 42. de Elect. non servatur, invalida est electio, prout fuse diximus lib. 1. Tit. VI. de Elect. §. 5. à n. 108. Sic sexcenta alia in Jure reperiuntur exempla, ex quibus patet, quòd si ob defectum conferentis, recipientis vel formæ, Institutio Canonica fieri nequeat, beneficium obtineri non possit.

Ex quibus inferunt Doctores, beneficium etiam licitè obtineri non posse liberâ in alium cessione, vel permutatione cum alio propriè Beneficiarium auctoritate, c. admonet. 4. de Renunt. c. quæsumus 5. de Rerum permut. Neque transactione propriè dicta sive onerosa, vel alia pactione, quæ à jure tanquam simoniacæ reprobantur, consequenter canonica institutione caret. c. constitutus. 4. & c. super eo 7. de Transact. & c. fin. de Pactis.

Nec valet contra hæc omnia dicta obijcere, quoniam de Magistris ubi decernitur, ut Magistris, qui clericos & pauperes Scholares gratis docent, competens aliquod beneficium præbeatur, ergo etiam aliò modò, quàm Institutione Canonica beneficium obtineri potest. Resp. enim, beneficium hic largè sumi, non pro Jure perpetuo percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, sed pro ipsis nudis fructibus, qui tamdiu dari decernuntur, quamdiu Magister docet: vel si Magister est Clericus, & ei beneficium proprium confertur, non decernitur, ut ei sine Institutione Canonica conferatur.

Queritur II. An non dentur fallentias contra Regulam hanc I. ita ut possint beneficia sine Institutione Canonica obtineri? Resp. Eam fallere in casu, quo Papa dispensat circa requisita ad Canonicam Institutionem; quia juxta unanimum DD. Papa in quovis Jure Ecclesiastico dispensare valet. c. Proposuit 4. de Concess. Præbend. ubi Pontifex ait: qui secundùm plenitudinem potestatis de jure possimus supra jus dispensare, juncto c. 2. de Præbend. in 6. ibi: licet Ecclesiarum, Personatum, dignitatum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum noscatur Pontificem pertinere, ita, ut non solum ipsa, cum vacanti, potest de Jure conferre, verum etiam jus in ipsis tribuere vacaturis, & Clem. 1. §. fin. ut lite pendente ibi: Ecclesiarum, Personatum, Dignitatum, aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum plena & libera dispositio ex sua potestate plenitudine noscitur pertinere ad Romanum Pontificem.

Secundò. Fallere eam volunt plures in casu præscriptionis, ita ut vi hujus sine canonica institutione obtineri, & retineri valeat beneficium bona fide cum titulo saltem colorato possessum. Ita docent Navarr. Consi. 30. de Præb. Garcias de Benefic. p. 8. cap. 1. n. 15. Gomez de Trienniali possess. quest. 42. Less. Lib. II. de Jus. & Jure. dubi. 10. n. 35. Pirring Lib. II. Tit. XXVI. de Præscript. nu. 115. Sauch. Laym. & alii.

- 12. Movenitur i. ex c. *Cura II. de Jure Patronatus.* ubi aperte videtur admitti præscriptio in beneficio, ibi: *Ex donatione Lateranensi nullus vestrum aliquas sibi Ecclesias vindicare presumat vel retinere taliter acquisitas, nisi legitima præscriptione fuerit munitus.* Ergo, inferunt, ubi legitima præscriptio adeit, ea beneficium obtineri & retineri potest 2. *Ex can. Possessiones. cau. 16. q. 1. & concord. vi quorum possunt intuitu meritorum Religionis aut necessitatis fructus seu proventus Ecclesiastici sine Institutione Canonica præscribi;* ergo etiam beneficium, quod est jus dictos fructus percipiendi.
- 13. 3. Et quidem principaliter ex Regula Cancellariæ Apostolicæ de Triennali (quam quidem communiter 37. dicunt, sed de facto 36. est, ut constat ex *lib. III. Tit. V. de Præb. & Dign. §. 16. ad finem*, ubi omnes Regulae Cancellariæ tempore Clementis XI. vigentes per extensum adduximus, inter quas 36. de Triennali reperitur.) in hac sequitur Regula expressè disponitur, quòd si quis beneficium per triennium pacificè possiderit, super eodem ita possessor amplius molestari nequeat.
- 14. Econtra Glossa hic v. *Beneficium Covarruy. p. 2. in c. Possessor. §. 10. n. 10. v. Sexta Conclusio Zoësius de Præscrip. n. 19. Abbas in c. Pastoralis de causa Possess. n. 27. Palao Tract. 13. disp. 2. p. 33. n. 3. Strein. in hunc Reg. n. 3. & seqq. absolute volunt, nec triennio, nec longiori tempore beneficium sine Canonica Institutione præscribi, vel præscriptione obtineri, aut retineri posse. Probant id præcipuè ex illa ratione, quòd sine possessione non currat præscriptio. *l. sine possess. 25. ff. de acquir. possess. & R. g. 3. de R. J. in 6. ibi: sine possessione præscriptio non procedit:* Beneficium Ecclesiasticum verò sine Canonica institutione nequit possideri; cum sine illa non valeat obtineri, ut habet textus clarus Regulae nostræ. Accedit, quòd possessio beneficii sine canonica institutione obtenti resistit jus *arg. hujus Reg. 1. v. Non potest.* ubi autem jus resistit, juridica possessio non datur. *L. qui universas 30. §. 1. v. Namque ff. de acquir. possess.* Ergo nec præscriptio an de Gloss. cit. ait: *In beneficiis consideratur canonica institutio, non possessio antiqua: & sic nota casum, in quo non currat præscriptio.**
- 15. Probant 2. ex c. *Ex frequentibus. 3. de instit.* ubi pro excommunicatis habentur, qui ex longæva consuetudine (quam Papa *pravam* appellat) beneficia ecclesiastica sine institutione canonica receperunt vel retinuerunt non obstante antiqua possessione: de quibus sic retinentibus Glossa. v. *derinent*, ait: quòd nullam possit habere excusationem, quantumcunque tempore ea tenuerit, quia diuturnitas temporis peccatum non minuit, sed auget. *arg. c. Non satis. §. de Simonia.*
- 16. Probant 3. Ex mala sequela: quia si beneficium ecclesiasticum absque canonica institutione vi triennalis possessionis, & inde factæ præscriptionis obtineri & retineri posset, sequeretur, Ordinarium in Canonica Visitatione non posse à triennali possessore exigere, & examinare titulum beneficii, quod est contra torrentem Doctorum, quorum sententiam etiam nos sumus secuti *lib. III. Tit. V. de Præbend. n. 349.*
- 17. Argumenta contrarium sententiam à n. 12. adducta ita solvunt: Et quidem ad c. *Cura de jure Patronat.* respondet Glossa hic v. *obtinere.* Hic non præscribitur Ecclesia tanquam beneficium, sed ut proprietas. Potest enim Ecclesia jure proprietatis præscribi per aliam Ecclesiam, ut fit illi subiecta vel unita. c. *I. de Præscrip. prout lib. II. Tit. XXVI. n. 34.* jam dictum, non autem ut beneficium.
- 18. Ad *can. Possessiones.* ibid. cit. ajunt: ibi non esse

sermonem ullum de proprio beneficio, sed de solis modis fructibus beneficii, quos ex justis causis etiam aliis tribui posse extra dubium est per cit. can. & plura alia jura. Nec tamen tales fructus percipiendis proinde dicitur beneficiis, vel canonicis, cum fructus beneficii ex justa causa etiam laicus possit habere, non tamen potest esse canonicus, ut bene notat Glossa in c. *Cum M. de constit. v. receperunt.*

Ad Regulam Cancellariæ de Triennali Respondent, eam præcise ad lites in foro externo vitandas & tollendas esse introductam, huncque solum esse finem illius, ac propterea in tantum duntaxat prodesse habenti possessionem triennalem, quòd in foro externo ab alio molestari amplius non valeat; minime verò juvare ipsum in foro interno, quin in conscientia gravi turboligatus maneat, ut beneficium sine institutione canonica ob defectum ex parte conferentis, recipientis, vel forme intervenientem obtentum iterum dimittat, cum finis & ratio legis sit animæ legis *can. Consuetudo. 5. dist. 1. & Cerium sit, quòd is committat in legem, qui verba legis complectens contra legis nititur voluntatem* juxta *Reg. 83. f. in 6. Accedit, quòd per hanc responsionem evitatur absurdum supra n. 16. positum, & magis salvetur concordantia juris communis cum Regula Cancellariæ: eorumque vitetur correctio ac contradictio, quod propossibili semper fieri oportet. c. cum expedit. 29. de Elect. in 6. ibi: *Expedi concordare jura juris, & eorum correctiones (si sustineri valeant) evitari.**

Fatendum sanè, utramque sententiam suis non carere fundamentis: & quoniam circa hanc controversiam in specie nos in Jure Canonico positivè nil adhuc resolvimus, sed *lib. II. Tit. XXVI. nu. 35.* Auctores pro & contra sentientes duntaxat adduximus, de eadem utpote multum præctica etiam nostram opinionem infra n. 22. aperiemus; ad quam magis firmandam & intelligendam opere pretium duximus, prius per extensum adducere totam Regulam Cancellariæ de Triennali. Hæc itaque Regula num. 36. olim 33. sic sonat.

**De Triennali.**

36. Item statuit, & ordinavit idem D. N. quòd si quis quæcunque beneficia Ecclesiastica qualicumque sint absque simoniaco ingressu, ex quovis titulo, Apostolica vel ordinaria collatione aut electione, & electionis hujusmodi confirmatione, seu presentatione & institutione illorum, ad quos beneficiorum hujusmodi collatio, provisio, electio & presentatio, seu quævis alia dispositio pertinet, per triennium pacificè possiderit (cummodo in beneficiis hujusmodi si dispositioni Apostolica ex reservatione generali in corpore Juris clausa reservata fuerint, non intruserit) super eisdem beneficiis taliter possessis molestari nequeat, nec non imperationes quaslibet de beneficiis istis sic possessis factas, irritas & inanes censeri debere decrevit, antiquas lites super illis motas penitus extinguendo.

Supposita itaque hoc tenore Regulae, & attenda vi Juris, quam Regulae Cancellariæ habent, dicimus, Eam, qui etiam absque institutione canonica (sive vitium & defectus se teneat ex parte conferentis, sive recipientis, sive formæ) beneficium per triennium pacificè possidet, non in foro externo duntaxat, sed etiam interno validè & licitè illud retinere, eoque frui, & à nemine amplius molestari valet, si quinque sequentes conditiones concurrant, videlicet.

Primo. Si illud absque Simonia obtinuit.

Secundo. Si illud ex titulo saltem colorato effecti aliis vitium Juris habente, v. g. per electionem formæ juris minus conformem, vel collationem, vel præsen-

presentationem & subiectam institutionem minus legitimam obtinuit.

Tertio. Si per integrum triennium nulla super beneficio inota fuerit lites, consequenter omnino pacificè fuerit possessum.

Quarto. Si se non intrusit in casu, quòd beneficium Sedi Apostolicæ ex reservatione generali in corpore Juris est reservatum.

Quinto. Si illud non tantum pacificè, sed etiam bona fide possederit.

24. Ratio præcipua Conclusionis est, quòd licet vi Juris communis Beneficium Ecclesiasticum sine canonica institutione licitè nec obtineri, nec retineri valeat per hæc tenus dicta, tamen Papa sicut in aliis, sic etiam in ateria beneficiorum jus commune de plenitudine potestatis immutare, corrigere, vel in eo dispensare valet, textu clavo c. 2. *de Præb. in 6. cum concord. n. 10. allegatis, idque per citatam Regulam Cancellariæ expressè fecit, & quolibet Papam de novo facere posse, quando de novo Regula Cancellariæ edit, manifestum apparet.*

25. Conclusio nostræ ob stare non videtur, quòd dicunt contrariæ opinionis auctores, videlicet rationem, finem & intentionem condendi hanc Regulam præcise fuisse, tollere & vitare lites in foro externo, consequenter in foro interno, eam non procedere. Nam contra est; Tum quia si Papa indefinè aliquid statuit, approbat, retheri posse asserit, ordinariè pro utroque foro intelligendum venit, nisi aliter exprimat, ut ex innumeris Juris exemplis, ipsique aliis Regulis Cancellariæ Apostolicæ patet; nam ordinariè loquendo id de Jure possumus, quòd licitè possumus, ut bene observat Glossa in hanc Regulam v. *licitè. arg. l. Nepos Proculo. 12. §. ff. de Verb. Signif. & ibi Aletius Barb. de Dictionibus, Dict. 268. n. 7.* consequenter quia Papa vi Regulae Cancellariæ dicit, Beneficium triennitè pacificè possessum, retineri posse de utroque foro, sique etiam de licita retentione intelligendus est. Tum quia aliàs dicta Regula foret scandalosa, utpote occasionem continui peccati præbens, & periculum interitis animæ inducens, hoc ipso quòd expressè dicat pacificum possessorem triennalem beneficium retinere posse, alioquin illum super eo molestari non valere: & tamen retinentem retinendo semper continuo graviter peccare implicite asserat, sique illud ad jugiter peccandum inducat, eò serè modò, quòd leges Civiles præscriptionem longissimi temporis etiam cum mala fide admittentes tanquam peccati occasionem præbentes à SS. Cenobibus merito reprobatae existunt, conformiter toti *Tu. Constit. & c. fin. de Præscrip. ibi: cum sit generaliter omni constitutioni derogandum, quæ atque mortali peccato non potest observari.* Tum quia læpè dicta Regula in favorem triennaliter possidentium

inducta, possidenti plùs noceret, quàm faveret, eique non tam utilis, quàm perniciosa foret, dum, etsi illum in foro externo à litibus immunem redderet, in conscientia illaqueatum, & continuo peccato mortali gravatum, sique in summo periculo æterni interitis incomparabiliter majori cum danno quàm commodo constitutum relinqueret: quid enim prodest hominis, si mundum universum lucratur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?

Et per hoc patet etiam responsio ad jura in contrarium allata n. 14. & 15. quia videlicet eisdem derogatum censetur per Regulam Cancellariæ. Ad legulam n. 16. positam respondetur, eam minime sequi, quia non obstante, quòd quis beneficium vi possessionis triennalis habeat, potest ab illo Ordinarius petere titulum, & videre, an illum saltem coloratum habeat, utpote quem ipsa Regula requirit.

Cæterum quòd necessarie sint quinque conditiones à n. 22. positæ, ratio est; quia quatuor primas ipsa etiam Regula Cancellariæ expressè requirit, ut legenti patet. Quinta autem ideo necessaria est, quia sine illa nulla nec triennalis datur præscriptio. c. 2. *de R. J. in 6. ibi: Possessor male fidei ullo tempore non præscribit.* Hinc licet Regula Cancellariæ de bona fide expressam memoriam non faciat, eam tamen implicite requirit; cum aliàs iterum ansam præberet peccandi, quòd omnis generis maliis homines sub spe acquirendi triennalem possessionem, & ea mediante obtinendi stabile beneficium, variis dolis & maliis satagerent obtinere beneficium, utpote certi & securi, quòd quantumvis iniquè & mala fide illud acquirant, post triennium tamen validè & licitè illud retinere valeant.

Porro quandonam in obtinendo beneficio Simonia committatur, plenè declaratum habetur *Lib. V. Tit. III. de Simonia.* Quandonam autem habeatur titulus saltem coloratus, ex *Lib. III. Tit. V. de Præb. & Dignit.* videre est: ex quo *Lib. & Tit. §. 15.* etiam habes, quando dicatur beneficium reservatum Sedi Apostolicæ. Quando verò quis dicatur intrusus, fuse explicatum est *cit. Lib. III. Tit. V. §. 17.* post Regulas Cancellariæ. Quando autem quis censetur habere bonam fidem patet ex Regula statim sequente, dum interea Controversiam circa Regulam Cancellariæ Apostolicæ de Triennali compendiosè & substantialiter ita concludimus: *Quicumque beneficium Ecclesiasticum cum titulo saltem colorato bona fide per integrum triennium pacificè possidet, validè & licitè in foro utroque illud retinere, & à nemine amplius molestari potest, dummodo simoniacè non obtinuerit, & casu quo beneficium ex reservatione generali in corpore Juris clausa Sedi Apostolicæ reservatum est, in illud intrusus non sit.*

**REGULA III.**

**Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.**

**S U M M A R I U M.**

- 1. Quis sit bona fides?
- 2. Et quid mala?
- 3. Qui possidet rem, quam scit vel iudicat esse alienam, eam nullo tempore præscribere potest.
- 4. Etsi id non ab initio, sed intermedio præscriptionis tempore cognoscit.
- 5. Post completum præscriptionis tempus resciscens rem esse alienam, non tenetur eam restituere.
- 6. Qui ab initio dubitat, an res sit aliena, non potest eam præscribere.
- 7. Bene verò si dubium intermedio præscriptionis tempore primùm superveniat.
- 8. Num requiratur non tantum theologica, sed etiam juridica fides bona?

Reiffenstuel Jus Canon. Tom. VI. C 2 9. Verus

- 9 Verus sensus Regule quis sit?
- 10 Per illam correctum fuit Jus civile admissens malam fidem in prescriptione.
- 11 Tempus immemorabile non excusat a mala fide.
- 12 In foro externo bona fides presumitur, donec probetur mala.
- 13 Quibus modis mala fides probari possit.
- 14 Fallentia aliqua circa hanc Regulam.

**Q**ueritur I. Quomodo haec Regula intelligenda? Et quis proprius illius sensus sit? Supposita ex lib. II. Tit. XXVI. notitia praescriptionis ante

Responsionem, Notandum, quod per bonam fidem pro acquirenda praescriptione requisitam nil aliud intelligatur, quam proba existimatio sive credulitas, qua quis prudenter credit vel iudicat, rem quam possidet, & de cuius praescriptione queritur, esse suam. arg. can. Si virgo 5. cau. 24. q. 1. Dicitur autem notanter prudenter, seu rationabiliter; nam qui ex crassa vel affectata ignorantia id iudicat, bonam fidem habere censendus non est, quia male, seu inique ignorat rem non esse suam, sed alienam iuxta illud Psal. 68. Noluit intelligere, ut bene ageret.

Mala fides e contra ad propositum in ordine ad praescriptionem est certa scientia seu cognitio, qua quis scit, vel prudens existimatio aut credulitas, qua prudenter seu rationabiliter credit vel iudicat, rem, quam possidet, & praescribere vult, non esse suam, sed alienam. arg. c. fin. de praescript. Hoc notato,

Resp. I. Regula II. id dicere vult, quod possessor male fidei, hoc est, ille, qui possidet rem aliquam, quam scit, vel prudenter credit aut existimat, esse alienam, eam nullo, etiam longissimo & immemorabili tempore praescribere possit. Ratio datur cap. fin. de Praescript. ibi: quoniam omne, quod non est ex fide, peccatum est, Synodali iudicio definitum, ut nulla valeat abique bona fide praescriptio tam canonica quam civilis.

Procedit Regula etiam casu, quo quis possessionem bona fide incaute, quidem, prudenter credens vel iudicans rem esse suam, postea vero tempore intermedio ad praescribendum per Jura requisita rescit, vel prudenter credit aut iudicat rem esse alienam: textu claro cit. c. fin. de Praescript. ibi: Oportet, ut, qui praescribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam alienam.

Secus foret, si post jam completum bona fide tempus requisitum supervenit notitia, rem fuisse alienam; quia quamvis fuerit aliena, tamen vi praescriptionis legitime postea facta est propria possessoris, ita ut eam non ut alienam mala fide, sed ut suam bona fide possideat, consequenter eam restituere non amplius teneatur, sed ut suam in utroque foro valide & licite retinere queat: prout cum Glossa communiter recepta in c. fin. de Praescript. & c. Vigilanti 5. eod. v. novem. amplius diximus & probavimus lib. II. Tit. XXVI. de Praescript. a n. 21.

Pariter procedit Regula in casu, quo quis statim ab initio, dum rem possidere incipit, dubitat an res sua, vel aliena sit; quia talis bona fide ad praescriptionem semper necessaria caret. c. fin. de Praescript.

Non tamen procedit in casu, quo post possessionem bona fide jam ceptam dubium supervenit; quia licet in hoc casu indagare teneatur de veritate, nihilominus donec de ea verisimiliter & prudenter confect, possessionem & praescriptionem continuare potest, quia in pari delicto vel causa prior est conditio possidentis, juxta Reg. 65. de R. J. in 6. vi cuius Regulae rem huiusmodi quasi suam, consequenter bona fide possidere potest, donec intra tempus praes-

scriptum appareat aliens, uti amplius declaravimus lib. II. Tit. XXVI. de Praescript. n. 65.

Num autem ad Praescriptionem non tantum fides bona Theologica, sed etiam Juridica requiratur, sicque non tantum ignorantia facti, sed & Juris excuset a mala fide, sufficienter explanatum habetur lib. II. Tit. XXVI. a n. 67. ubi vide, ne superflua fiat repetitio. Caeterum ex haecenus dictis.

Resp. II. Verus & genuinus sensus Regulae secundae, & quidem in ordine ad malam fidem sequens est: Possessor male fidei, saltem theologicus, id est, ille, qui possidet rem aliquam, quam ab initio vel in medio tempore ad praescriptionem per Jura requisita scit, vel prudenter credit aut iudicat, vel ab initio possessionis dubitat, esse alienam, eam nullo etiam immemorabili tempore praescribere potest. Vel loquendo de bona fide requisita, sequens: Nemo rem alienam praescribere potest, nisi toto tempore ad praescriptionem de Jure requisita, prudenter & rationabiliter credat vel existimet, eam esse suam, aut saltem ab initio possessionis non dubitet, eam esse alienam, per Rationes & Jura supra allegata.

Solum specialiter Notandum, quod per Regulam nostram, & concordantia Jura allegata, correctae sint Leges Civiles. I. un. C. de Usucap. transform. & §. diutina. 12. Instit. eod. vi quorum ad praescriptionem rerum mobilium triennium, & ad immobilium longum tempus sufficiebat, dummodo ab initio adfuerit bona fides. Et I. si quis 8. §. I. C. de Praescript. 30 & 40. annor. vi cuius ad praescriptionem longissimi temporis bona fides nec quidem ab initio requiritur. Correctae sunt, inquam, haec leges civiles, & pro correctis, ac non amplius attendendis tam a Legibus, quam Canonistis habentur. arg. c. fin. de Praescript. ibi: tam Canonica quam Civilis. Et merito, quia nutriebant peccatum, & allaciebant ad illud, cum homines sub spe vel desiderio acquirendi praescriptionem, rem, quam sciebant alienam, dimittere noluerint, sicque continuo in gravi peccato perexerunt. Cujusmodi Lex tanquam scandalosa, & animabus damnosa a Jure Canonico corrigi omnino potest & debet textu claro cit. c. fin. de Praescript. ibi: Cum generaliter omni Constitutio sit derogandum, quae abique peccato mortali non potest observari. praesertim cum in materia concernente salutem animarum, Juri Canonici dispositio in utroque tam Civili videlicet, quam Canonico foro sit observanda juxta ea, quae dicta sunt in Proemio Lib. I. Decret. §. 12. n. 217. & seqq.

Nec juvat mala fide praescribentem longissimum vel immemorabile tempus quamvis enim huiusmodi tempus ordinarie praebet praesumptionem Juris, & de Jure de bona fide, uti cum Glossa & aliis bene observat & docet Barbo. ad hanc Regulam n. 6. tamen in casu, quo prudenter constat, malam fidem vel ab initio possessionis adfuisse, vel intermedio ad praescriptionem requisito tempore intervenisse, proflus nil prodest. c. Vigilanti 5. de Praescript. ibi: Quoniam nulla antiqua dierum possessio juvat aliquem male fidei possessorem. Et merito, quia eo gravius peccaminosa, & animabus periculosa est male fidei possessio, quo longiori tempore fuerit protraxa. arg. c. fin. de consuet. ut proin mala fides potius in praescriptione longissimi, quam ordinati temporis per SS. Canones fuerit removenda, uti bene observat Dynus in hanc Reg. n. 6. & Barb. in cit. c. fin. n. 6.

Caeterum bene Notandum, quod bona fides possidentis rem alienam, in foro externo semper praesumatur, nisi probetur contrarium, uti bene advertit Glossa communiter recepta in c. Si diligenti. 17. de Prae-

Praescript. v. bona Fides L. Verius 21. ff. de Probat. juncta Reg. 47. J. in 6. Praesumptio ignorantia (facti scilicet de injusta possessione rei alienae, non Juris) ubi scientia non probatur. ac c. fin. de praesumpt. vi cuius quis praesumitur bonus, donec probetur malus.

Quomodo autem, vi quibus modis & mediis probari possit mala fides possidentis rem alienam, ex professo traditum habetur Lib. II. Tit. XXVI. a n. 84. Solum notandum, quod cum juxta dicta n. 11. in praescriptione immemorabili, vel longissimi praesumptio Juris & de Jure de bona fide stet pro possidente, mala fides illius non nisi illis modis probari possit, quibus aliquid probatur contra praesumptionem Juris, & de Jure juxta Gloss. communiter receptam in c. Is qui fidelem 30. de Sponjal. & bene in hanc Reg. loc. cit. observat Barb.

Quaeritur II. Utrum detur Exceptio seu fallentia circa hanc Regulam, Resp. Juxta aliquos inveniri aliquam cap. Placuit. 1. de Praescript. ubi Episcopus locum a se ad fidem conversum triennio praescriptum contra alium Episcopum, qui monitus locum convertere neglexit, licet Episcopus praescribens ab initio, & intermedio tempore optime sciverit, locum non suae, sed alterius esse Diocesis, consequenter in mala fide constitutus fuisse videatur, quamvis alii hunc Episcopum ad mala fide, etiam ab initio possessionis immunem dicant, & ideo in hoc casu fallentiam esse neget, eo quod specialiter constitutum sit a Jure favore fidei, ut in huiusmodi casibus talis Praescriptio fieri queat, indeque etiam ita praescribens autoritate canonis excusetur, uti bene advertit Gloss. in can. placuit. 1. cau. 16. q. 1.

REGULA III.

Sine possessione praescriptio non procedit.

SUMMARIUM.

- 1 Unde haec Regula?
- 2 Possessio quid?
- 3 Alia est naturalis seu corporalis tantum;
- 4 Alia Civilis seu Juris tantum;
- 5 Alia naturalis & civilis simul;
- 6 Alia civilissima.
- 7 In rebus incorporalibus non datur vera, sed quasi possessio, quae idem operatur, ac illa.
- 8 Ad inchoandam praescriptionem rerum corporalium requiritur possessio naturalis & civilis simul: ad continuandam sufficit sola civilis;
- 9 Non item naturalis.
- 10 Ad praescriptionem rerum incorporalium requiritur & sufficit quasi possessio.
- 11 Verus sensus Regulae quis sit?
- 12 Declaratur Juri exemplis, & seqq.
- 13 Plura de Possessione remissive.

**H**aec Regula concordat cum L. sine possessione 25. ff. de Urjurat. & Usucap. & juxta Barb. hic n. 1. ex eadem delumpta est, ibi: Sine possessione usucapio contingere non potest.

Quaeritur I. Quomodo haec Regula intelligenda? Et quis genuinus illius sensus sit? Ante responsionem pro faciliiori intelligentia hujus Regulae breviter recapitulare servit, quae lib. II. Tit. XII. de Causa possess. & propriet. §. 1. iam dicta sunt, quid & quotuplex sit possessio. Haec siquidem juxta ibidem dicta, est rei corporalis detentio concurrente corporis, animi & Juri adminiculo: dum nempe quis rem naturaliter non tantum detinet, sed eam detinendi etiam jus & animum habet. Quae definitio tamen Possessionem corporalem & civilem simul sumptae dantur competit.

Sciendum namque, Possessionem aliam esse naturalem seu corporalem tantum (quam alii etiam possessionem facti appellant) aliam civilem, seu Juris tantum: aliam naturalem seu corporalem, & civilem seu Juris simul. Possessio naturalis est ipsa semet actus possidendi, seu actualis detentio rei, qua quis animo simul & corpore rem detinet, atque rei ipsi praesens existit, vel saltem res in ejus conspectu est.

Possessio Civilis, seu Juris tantum, est quae habetur juris adminiculo, & de Jure solo animo continuatur: prout fit, quando possessor nec est in re, nec res in conspectu illius, uti contingit, si possessor a rebus suis sine animo eas deferendi ad tempus corpore discedit, in huiusmodi enim casu, etsi rem suam corporaliter non possideat, eam tamen civiliter, ac de jure possidet, cum animum & jus possessionem continuandi habeat. l. licet. 4. C. de acquir. Possess.

Possessio naturalis seu corporalis, & Civilis seu Juris simul, est, quando utraque simul concurrat, ita ut quis rem aliquam non tantum corporaliter actu possideat, sed eam possidendi etiam jus & animum habeat: quae possessio semper iusta est; cum e contra possessio naturalis tantum etiam injusto invalorari competere possit. Hinc juxta gloss. hic: Possessio naturalis tantum, plurimum facti, & parum vel nil juris dicitur habere: Possessio civilis tantum plurimum juris, & parum facti habere. Possessio vero naturalis & Juris simul plurimum facti & Juris habere.

Praeter praefatas afferuntur a Doctoribus adhuc alia Possessio, quam Civilissimam dicunt, estque illa, quae acquiritur ex mera dispositione Legis, consuetudinis aut statuti abique alio actu corporis constructi. Arg. l. Raptores. 54. C. de Episcop. & Cleric.

Porro quamvis definitio possessionis, & dicta haecenus de ea potissimum intelligenda sint de possessione rerum corporalium, cum incorporalia proprie non possideantur. c. Cum Ecclesia. 3. de caus. poss. tamen incorporalium & spiritualium datur quasi possessio. L. ait Praetor. 23. ff. Ex quibus causis major. & L. si quis. 10. pr. ff. Si servit. vind. quae quasi possessio idem in rebus incorporalibus & spiritualibus operatur, quod possessio vera in rebus corporalibus; cum etiam pro tuenda incorporalium possessione extent interdicta. L. 1. §. 5. ff. uti possidetis. uti prout sicut in corporalibus sine vera, sic in corporalibus sine quasi possessione praescriptio non procedat. Quibus praenotatis,

Resp. I. Ad quaest. n. 2. positam: Regula III. intelligenda est de possessione tam naturali quam civili, ac etiam quasi possessione taliter, quod ad inchoandam praescriptionem rerum corporalium requiratur possessio naturalis & civilis simul: ad con-

tinuandam verò eandem julle cœptam sufficiat sola Civilis, non item sola naturalis: ad præscribenda verò incorporalia sufficiat & requiratur quasi possessio. Ita Glossa communiter recepta in hac Regulam v. Sine arg. l. Licet. 4. C. de acquir. possess. ubi dicitur: licet possessio (& consequenter præscriptio) nudò animò acquiri non possit, tamen solò animò retineri valet. Ut de secundo hujus conclusionis membro exemplum supra n. 4. adduximus in discedente à bonis suis ad tempus cum animò illa retinendi.

Quòd verò sola naturalis seu corporalis possessio nec ad continuandam præscriptionem sufficiat, patet ex dictis de præcedenti Regula II. ubi clarè probatum est, quòd si intermedio ad præscriptionem requisito tempore notitia rei alienæ interveniat, consequenter bona fides desinat, & possessio civilis esse cesset, præscriptio non amplius curat.

Ad præscriptionem autem rerum incorporalium sufficere & requiri possessionem quasi talem patet ex Juribus n. 6. allegatis. Quà responsione præmissa,

Resp. II. Genuinus sensus Regulæ est: Sine possessione naturali & civili simul sumpta præscriptio rerum incorporalium inchoari non potest: per eam tamen ritè inchoata, sola civili possessione continuari & perfici potest tempore per jura præscripto. Ad præscriptionem verò rerum incorporalium requiritur & sufficit quasi possessio debito tempore continuata. Patet responsio per Jura hæcenus allegata; cuius ratio universalis & principalis est; quia præscriptio principaliter fundatur & ædificatur super possessione. arg. l. Usucapio. 2. ff. de Usucap. ergo sicut non datur ædificium sine fundamento arg. c. veniens. 10. de Præscript. junctà l. Egi 26. pr. ff. de Except. rei judicate. ita, si ab initio non ponitur, vel intempestivè auferatur, aut

amittitur possessio, præscriptionem contruere necesse est. Hinc universaliter inferitur, quòd qui rem aliquam possidere non valet, præscribere nequeat, quia deest Præscriptionis fundamentum, Possessio nempe.

Declaratur Juris exemplis: Sic enim quia Laici non possunt possidere loca Religiosa & Sacra, l. qui universos. 30. ff. de acquir. possess. ibi: nam locum Religiosum, aut sacrum non possumus possidere: neque jus eligendi in Ecclesia, arg. c. Sacrosancta c. 1. & c. Massana 56. de Elect. junctà Gloss. ibid. Nec Decimas. can. 1. cau. 16. q. 7. & c. Causum. 7. de Præscript. præfata jura & loca sacra præscribere non possunt; cum juxta Regulam 3. sine possessione præscriptio non procedat.

Sic pariter quia jus resistit & impedit, ne quis acquirat possessionem rei ad usum publicum deputatæ, puta, fluminam, pontium, viarum &c. præscribi non possunt, estis populus eis uti desierit, arg. l. viam. ff. de via publ. Similiter, quia liber homo possideri nequit, arg. l. qui universos. 30. ff. de acquir. possess. & l. cum heredes. 23. eod. etiam præscribi non valet. Hinc l. Usucapionem. 9. ff. de usucap. dicitur: Usucapionem recipiunt res corporales exceptis rebus sacris, sanctis, publicis populi Romani, & Civitatum, item liberis hominibus. Clara Juris exempla adducit Barboza in hac Reg. ex quibus clarè patet, quòd, ubi possessio deficit, præscriptio fieri non possit.

Cæterum quomodo probari possit possessio rerum: item quomodo acquiratur, & iterum amittatur, plenè declaratum habetur lib. II. Tit. XII. de causa possess. & propriet. §. 4. 5. 6. & 7.

## REGULA IV.

### Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.

#### SUMMARIUM.

- 1 Hæc Regula desumitur ex S. Augustino.
- 2 Intelligitur de solo peccato contra justitiam commissio.
- 3 Per verba: non dimittitur, intelligitur dimisso quoad culpam & poenam æternam coram Deo.
- 4 Poenas civiles remittere possunt principes.
- 5 Verus sensus Regulæ quis?
- 6 Restitutio ab hæredibus facta non juvat defunctum, nisi eam mandaverit: nec omisso illius nocet eidem.
- 7 Vulgare dictum: restituum, ne anima in purgatorio pati debeat, videndum.
- 8 Solvitur obiectio contra hoc.
- 9 Tot sunt fallentia contra Regulam, quot sunt causæ à Restitutione excusantes.
- 10 Enumerantur præfata causæ.

Hæc Regula desumitur ex Epist. 54. S. Augustini ad Macedonium, & refertur can. 1. cau. 14. q. 6. ibi: Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur penitentia, sed fingitur: si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum: sed, ut dixi, si restitui potest. Plerumque enim qui aufert, amittit, sive alios patiendos malos, sive ipse malè vivendo: nec aliud habet unde restituat.

Queritur itaque I. Quomodo hæc Regula intelligenda, & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam non de quovis, sed de solis peccatis contra justitiam, injustè auferendo, retinendo, vel injustè damnificando commissis intelligi, quæ non dimittantur, nisi injustè ablatum vel retentum restituatur, vel damnum injustè causatum refarciatur, vel si physica aut moralis impossibilitas intervenit, id, quamprimum fuerit possibile, præstandi servia habeatur voluntas. Ratio in textu citato allegatur, quia, si reddi potest, & non redditur, non agitur penitentia, sed fingitur. Quod item intelligitur de eo, cui quidem hic & nunc moraliter vel physice impossibile est restituere, vel damnum refarcire; voluntas tamen id faciendi deest, quando potuerit; quia præsens physica vel moralis impossibilitas juxta communem tam Juristarum, quam Theologorum sententiam non extinguit, sed tantum suspendit obligationem restituendi, quamdiu impossibilitas durat. Cum res semper clamet ad Dominum suum.

Per verbum autem, non dimittitur, intelligitur dimisso tam quoad culpam, quam ei annexam poenam æternam (in materia gravi) coram Tribunali Divino ita ut et si quis de peccato injustitiae peniteat, illudque confiteatur, & firmum propositum id non amplius perpetrandi habeat, tamen nec culpa, nec poena eidem annexa remittatur, nisi restituat, vel ubi de facto non potest, sinceram voluntatem restituendi

## Regula IV. Peccatum non dimittitur &c.

tuendi habeat. Quod item de injustè damnificante intelligendum; quia verò restitutionis venit omnis utilitas actoris l. cum Prator 81. ff. de V. S. & amplius patet ex lib. V. Tit. XXXII. de Injuriis & damno dato.

Dicitur tamen notanter: coram Tribunali Divino; quia poenam pro peccato injustitiae in foro debitam à supremo Principe, vel legitimo Magistratu pro justo arbitrio penitus remittit, vel moderari posse, indubitati juris est, arg. l. Princeps 31. ff. de legibus. praxi & consuetudine, quæ optima legum interpretis est, ubique confirmatum.

Resp. II. Proprius sensus Regulæ IV. sequens est: Peccatum injustè auferendo, detinendo vel damnificando contra justitiam commissum coram Tribunali Divino nec quoad culpam, nec quoad eadem etiam annexam poenam æternam dimittitur, nisi, ubi possibile est, restituatur ablatum, vel refarciatur damnum injustè illatum; aut ubi impossibile sit restituere vel morali adest, sincera id præstandi voluntas adest, vel alia justa causa excuset. Sensus hic ex le peripicuo est, & ex iam dictis patet.

Solum addendum, quòd reatus culpæ & poenæ non dimittatur, nisi impleat injustè auferens, vel damnificans, dum adest in vivis est, restitucionem, si potest, per se, vel alios faciat, aut ut de ius fiat, demandet; consequenter non sufficit, nec illum à reatu culpæ vel poenæ liberet, etiam si hæredes illius, ipso prius non mandante vel decernente, aut committente eam præsent. Quamvis enim hi cognita injustè ablata in natura vel æquivalente, absque ulla testatoris commissione restituere, & damna injustè illata refarcire ipsimet teneantur; tamen si id absolute mandato vel commissione testatoris ex se ipsis, uti tenentur, faciunt, per hoc defuncto nullatenus proficiunt, nec poenas purgatorii (ubi materia levis est) tollant vel minuunt, multò minus à poenis æternis, ad quas in materia gravi statim damnatus est, amplius liberant. Sicut e contra eidem nec in minimo nocent, nec liberationem à purgatorio retardant, si defunctus in vivis adhuc existens restitutionem debitam ritè demandavit, hæredes verò ea non facere culpabiliter omittunt, uti post D. Thomam quodlib. 6. art. 1. q. cum aliis bene docet Navar. in Manu, cap. 27. n. 68. §. quæritur.

Ex quo bene inferit Strein, ad hanc Regulam n. 5. ridendum esse vulgare illud dictum hæredam: Debeo vel volo illud aut illud à patre, matre, vel fratre &c. injustè ablatum restituere, vel damnum injustè illatum refarcire, ne aliàs pati debeant in altera vita. Vel enim defunctus in vivis existens demandavit debitam restitutionem, vel non: si postea, poenas illius nec minuunt nec tollent, etiam si restituant: si prius, non nocent ei, sed sibi solis, si restitutionem facere ex parte, vel ex toto culpabiliter negligant.

## REGULA V.

### Peccati venia non datur, nisi correcto.

#### SUMMARIUM.

- 1 Per verbum, Venia, intelligitur hic venia culpæ, & annexæ poenæ æternæ: verba, nisi correctio, idem sonant, ac nisi penitentia.
- 2 Aliqui etiam de peccato veniali Regulam intelligunt.
- 3 Majoris mali vitandi gratiâ in foro externo peccata impunita relinquuntur.

Nec obstat huic doctrina c. In literis. 5. de Raptibus. ubi Papa vult compelli hæredes ad compensationem damni à defuncto illati, ut sic à peccato valeat liberari; quia verba hæc mendolosa sunt, cum locò verbi valeat in singulari, legendum sit, valeant in plurali, quatenus non defunctum, sed hæredes afficiat, qui damna per defunctum injustè illata refarcire ita tenentur, ut, quamdò id non præstant, à peccato liberari non valeant, uti bene advertit Barboza, ad hanc Reg. nu. 8. hincque sensum juxta originale, & antiquiores codices veritatem judicat Abbas in cit. c. In literis. n. 4. Vel, si verbum valeat in singulari defunctum afficiens accipiendum contendantur, non directè, sed indirectè intelligendum sit, id est, non quòd restitutio hæredum directè juvet defunctum, & à peccati poenis liberet, sed quia indirectè ei prodest, dum per suffragia, preces & oblationes, quæ in sepultura Ecclesiastica (quæ defunctus interim privatus erat pro eo fieri solent, eidem succurrunt, ut citius à poena peccati in purgatorio sustinenda liberetur. Barb. Navar. Strein loc. cit. & alii.

Queritur II. An etiam, & quæ sint Exceptiones aut fallentia contra hanc Regulam quantum? Resp. Eas contra verba Regulæ nudè sumpta esse tot quot sunt causæ excusantes à restitutione. De quibus etiam ex professio tractent Theologi, nosque de illis etiam Theologia moralis satis egerimus Tr. 9. dist. 5. q. 6. tamen pro majore dilucidatione Regulæ eas etiam hic, saltem breviter apponere bonam viam fuit.

Prima causa à restitutione excusans est impossibilitas physica; ratio est, quia nemo potest ad impossibile obligari, Reg. 6. de R. J. in 6.

Secunda: Si restitutio sine damno multò graviore, quam lætus sustinuit, v. g. in fama, vita, membris, bonisque fortunæ sibi, fuisse inferendo fieri non potest, can. si Res. 1. cau. 14. q. 6.

Tertia: Si is, cui restitutio facienda debitum voluntariè & ultro remittit, arg. l. In re mandata 21. C. Mandati.

Quarta: Si dilatio restitutionis in magnum bonum creditoris credit, uti & in casu quòd ipse pecunia, vel alia re restituenda in suam perniciem, vel gravius damnum esset abalutur.

Quinta: Si quis cedat bonis suis, donec ad pinguiorem fortunam venerit. l. Cum & filii familias. 7. C. qui bonis ced. poss.

Sexta: Si in damno dato nulla intercessit culpa theologica, in foro interno nulla restituendi obligatio est: arg. can. Erii autem. dist. 4. & amplius diximus lib. II. Tit. XXXVI. §. 2. ubi etiam, an & quando in foro externo restitutio obligatoria sit ob damnum datum ex culpa levi vel levisima.

Septimò: ponunt alii uti casum præscriptionis, uti patet ex Tit. de Præscript. Quibus similes causas alias plures reperire est apud Theologos.

Peccata impunita relinquuntur.  
Verus sensus Regulæ quis?  
Solvuntur obiectiones. & seq.

Queritur, quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. Per Veniam in ha. Regula intelligi veniam culpæ, præsertim mortalis, & poenæ æternæ à Deo infligendæ: non verò



SUMMARIUM

- 1 Regula unde desumpta?
- 2 Privilegium aliud est Reale:
- 3 Aliud Personale.
- 4 Regula habet duas partes.
- 5 Verus sensus Regulae quoad primam partem, quod personam sequatur.
- 6 Sensus ejusdem quoad alteram partem, quod extinguatur cum persona.
- 7 Solvuntur obligationes contra Regulam quoad primam partem: & duobus seqq.
- 10 Et quoad secundam partem.
- 11 De Privilegiis remissivis.

**H**æc Regula desumpta habetur ex l. In omnibus 68. ff. de R. J. ibi: In omnibus causis id observatur, ut ubi persone conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea beneficium quoque deficiat. cui concordat l. Lex privilegia. 196. ff. de Reg. Jur. ibi: Privilegia quædam casus sunt, quædam personæ: & idem quædam ad heredes transmittuntur, quæ casus sunt; quæ personæ sunt, ad heredes non transeunt.

**Q**ueritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis proprius illius sensus sit? Ante responsionem notandum, juxta jam dicta lib. V. Tit. XXXIII. de Privilegiis. §. 1. n. 12. Privilegium aliud esse Reale, aliud Personale. Illud est, quod directè & immediatè ipsi rei, alicui loco, dignitati, officio, causæ, &c. vel ratione ipsius conceditur, ac propterea tempore, quod dicitur, eidem adstringitur. l. Imperatores. 7. ff. de Publician.

**P**ersonale est, quod immediatè ac directè soli alicui persone, & ratione illius, v. g. propter singularitatem ipsius experientiam, doctrinam, virtutem, fidelitatem vel meritum conferitur. Quo nomine non veniunt privilegia, quæ toti alicui communitati, vel certo generi hominum dantur; quia est omnes persone in tali communitate existentes, vel sub tali genere constitutæ tali privilegio gaudeant indeque communitè Privilegium Personale vocetur: tamen quia non intuitu unius persone, sed intuitu totius communitatis est concessum, & omnes tam præsentis quam futuri sub tali communitate viventes, vel sub genere existentes afficit, ad easque transit, privilegium merè personale, vel propriè tale esse non censetur, sed reale: cujusmodi est Privilegium Restitutionis in integrum minoribus concessum, quod non unus solus, sed omnes minores in perpetuum gaudent. l. Non solùm. 6. ff. de In integr. Restit. Tale etiam privilegium est S. C. Velleiani concessum mulieribus: item privilegia concessa corpori mystico, veluti civitati, Collegio, Academix, Religioni &c. His prænotatis,

**R**esp. I. Regula solummodo intelligenda est de privilegio merè personali, seu propriè tali. Habet autem hæc Regula duas partes: una est, quod Privilegium personale semper & ubique sequatur personam, in quocunque tandem loco existat, ita ut quovis tempore & loco privilegiatus illud gaudere valeat, nisi ad certum locum vel tempus, aut certam, ob quam concessum est, causam ab ipso concedente sit restrictum. Altera pars est, quod cum persona extinguatur, seu pereat, si talis persona moritur, nec ad ullos transeat heredes.

**R**esp. II. Verus sensus Regulae sequens est: & quidem quoad primam partem. Privilegium merè personale semper & ubique sequitur personam, cui est concessum, eique adheret, ita ut illo semper frui queat in quocunque tandem loco existat, nisi ab ipso concedente sit restrictum. Quoad alteram verò partem: Privilegium merè personale extincta per

mortem personæ, cui est concessum, pariter extinguatur, ita ut profusus ad nullum heredem, vel quocunque alium transeat. Exempla prioris partis obvia sunt; sic v. g. Scholaris etiam si loco migret, & extra Academiam existat, privilegio gaudet, quod à Jure laico capi & teneri non valet. Auth. Habita. C. Ne filius pro patre. Strein hinc n. 2. sic qui habet privilegium legendi libros prohibitos, comedendi carnes diebus jejunalibus, Breviarium aut Horas mentaliter persolvendi, aut locò eorum Rosarium recitandi, illud, ubicunque est, frui potest; quamvis ob scandalum vitandum subinde hic & nunc abstinendum sit, quod profusus per accidens est.

Quoad secundam partem, quod cum persona 6 privilegium merè personale extinguatur, & ad nullum heredem transeat, exemplis plena sunt Jura, adeo ut in l. penult. §. si puella. 5. ff. de ritu nupt. & l. Privilegio. 27. pr. C. de Decurionibus & l. In Filiis. 35. eod. sancitum habeatur, quod privilegium parentibus concessum nec ad filios transferatur. Et quamvis Regula, & sensus illius satis sint clari, tamen

**Q**ueritur II. An non hæc Regula etiam patiatur 7 suas Exceptiones, & Fallentias? Resp. Plures à nonnullis adductæ, quæ tamen re bene considerata, & si id, quod objiciunt, solvitur, Fallentia non sunt, & Regula non adversantur. Hujusmodi objectiones plures breviter adducit Gloss in hac Reg. & quidem Primò contra primam partem Regulae: Ulus pallii Archiepiscopo, vel alii Episcopo ex privilegio competens est privilegium personale. arg. c. 2. de Authorit. & usu Pallii. & tamen hoc non sequitur personam; cum Archiepiscopus extra propriam diocesim illud uti non valeat, arg. c. 1. de Authorit. & usu Pallii. Et ibi Gloss. v. quamlibet. Resp. enim privilegium de usu Pallii ex primeva concessione esse restrictum ad propriam diocesim, & pro certis duntaxat diebus, c. ad honorem. de authorit. & usu Pallii. Tenor autem privilegii attendendus & servandus est, c. Porro 7. & c. Receptus. 8. de Privilegiis. Gloss. hinc. consequenter hæc obiectio non obest, cum in sensu ejus expressè mentionatum sit, nisi privilegium ab ipso concedente sit restrictum.

**O**bjicitur secundò: Præsentis majoris minor 8 non utitur privilegio, arg. c. Antiqua 23. de Privilegiis. ubi Patriarchis interdictum, emittentem aut se deseritur, quando in ea urbe Summus Pontifex, vel ejus legatus utens insigniis Apostolicæ Authoritatis, præfens est. can. Denique. dist. 21. Resp. hoc esse speciale ob reverentiam superioris. Adde, hujusmodi privilegium etiam cum restrictione saltem implicita esse datum, videlicet quandiu Superior in loco præfens non est. Gloss. hinc.

**O**bjicitur tertio: Privilegium personale extinguitur 9 nonnumquam etiam ante mortem personæ; ut cum quis abutitur privilegio. can. Privilegium. 63. cau. 11. q. 3. ibi: Privilegium omnino meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate. Idem fit propter delictum, propter contrarium factum, propter necessitatem &c. ut ait Gloss. in cit. can. Privilegium. ergo privilegium personale non semper sequitur personam, cum in dictis casibus manente persona non maneat privilegium. Resp. Regulam habere implicitam clausulam; nisi ex causa per dispositionem juris amittatur; quod enim non est, sequi non potest. Vel dic, Regulam in hoc pati exceptionem.

**Q**uoad secundam partem Regulae, quod extincta 10 personæ extinguatur, & ad nullos transeat heredes, objicitur l. Non solùm. 6. ff. de In integrum Restit. vi cujus privilegium restitutionis in integrum à personis in ætate minore constitutis transit etiam ad heredes: & l. Heredes. 20. c. ad S. C. Vellejanum. disponens, quod privilegium, seu beneficium excep-

exceptionis acrius creditores multiteribus competens, pariter ad heredes extendatur, consequenter cum persona non extinguatur. Sed Responderis hæc privilegia non esse merè personalia, sed communitè duntaxat personalia, de quibus Regula nostra non

est intelligenda, prout jam supra 4. diximus. II Cæterum si quid amplius de materia privilegiorum desideratur, exactè & fide tractatum invenitur cit. Lib. V. Tit. XXXIII. de Privilegiis. & expressè privilegiant.

REGULA VIII.

Semel malus semper præsumitur esse malus.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde desumpta.
- 2 Præsumptio alia est Juris tantum:
- 3 Alia Juris & de Jure:
- 4 Alia hominis.
- 5 Regula intelligenda est de præsumptione hominis, & Juris tantum;
- 6 Non in diverso.
- 7 Sed eodem duntaxat genere delicti.
- 8 Si illud consummavit,
- 9 Et se non emendavit.
- 10 Malus de præfenti non præsumitur terro malus.
- 11 Verus sensus Regulae quis?
- 12 Emendatio tanquam facti non præsumitur, sed probari debet.
- 13 Quilibet habendus est bonus, donec probetur malus, non proceat, quando quis jam semel fuit malus.
- 14 Fallentia Regulae quæ? & duobus seqq.
- 15 Semel contumax cur denuo citetur?
- 16 A perjuro recipitur juramentum in suum gravamen, sed non in sui commodium, vel aliorum præjudicium.

**H**æc Regula desumpta est ex can. Parvuli. 14. cau. 22. q. 5. c. Scribam. 9. de Præsumpt. & aliis LL. citatis à Glossa hic.

**P**ro intelligentiâ hujus Regulae supponitur notitia de natura & varietate præsumptionis ex lib. II. Tit. XXIII. §. 1. ubi inter alias triplicem potissimum præsumptionem esse diximus, videlicet Præsumptionem Juris tantum: Præsumptionem Juris & de Jure in Jure quidem expressè invenitur, pro certa veritate tamen non habetur, sed amittit probationem in contrarium. Gloss. communitè recepta in c. Is, qui fidem. 30. de Spons. ubi plura hujus exempla adducit.

**P**raesumptio Juris & de Jure illa est, quæ in jure non tantum expressa habetur, sed ab eodem tan firmiter tenetur, ut pro ipsa veritate habeatur, indeque probatio in contrarium faciliè non admittatur. Gloss. loc. cit. ubi pariter plura ex Jure exempla adducit; putetque ex cit. c. Is qui fidem de Spons. ubi Pontifex inquit: contra hanc præsumptionem non est probatio admittenda.

**P**raesumptio hominis est quæ in Jure expressa non habetur, sed juxta rerum ac personarum circumstantias, & apparentia indicia prudenter concipitur: estque alia violenta, sicut quæ moralem certitudinem inducit: non violenta, prout amplius declaratur cit. lib. II. Tit. XXIII. de Præsumpt. §. 1. His suppositis,

**Q**ueritur I. Quomodo Regula VIII. intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. pro intelligentiâ hujus Regulae quatuor esse advertenda cum Gloss. hinc, & quidem Primò. Regulam non loqui de præsumptione Juris, & de Jure, quasi verò ille, qui semel scitur malus, semper pro certo habeatur malus, negata omni probatione in contrarium: sed de præsumptione Juris tantum, vel hominis; Reiffenstuel Jus Can. Tom. VI.

admittente probationem innocentie.

**S**ecundò: Eam non nisi in eodem genere delicti 6 esse intelligendam; ut proin licet quis in uno genere delicti v. g. luxurie sciatur reus, tamen propterea vi hujus Regulae in alio, vel omni genere delicti v. g. iniquitatis, iniquitatis &c. reus præsumi non possit arg. c. Ille vos. 4. §. fin. de Pignori. finitè l. si cui crimen §. 1. ff. de Accusatis.

**S**ed tantum in eodem genere delicti, uti tacendo 7 plura alia Juris exempla patet ex cit. can. 14. cau. 22. q. 5. ubi perjurus semel reperitus semper præsumitur perjurus, indeque à præstando juramento, & ferendo testimonio semper rejectus existit, ibi: & qui semel perjuratus fuerit, nec restis sit post hoc, nec ad sacramentum accedat, nec in sua causa, vel alterius jurator existat. Item ex c. Scribam. 9. de Præsumpt. ubi de negligentibus servare leges & admonitiones præsumitur, quod eas etiam in futurum sint neglecturas; ibi: Scribam eis multipliciter leges meas, & ex prius datis & neglectis appareat, quod hæc negligant.

**T**ertio intelligendam esse, quando quis fuit malus 8 in sine actus, & non in principio tantum: id est, quando delictum quidem inchoavit, illud tamen, cum posset, non consummavit; eò quod reipso, & delictum horribile censetur, consequenter semper reus præsumi non debeat.

**Q**uartò: Nisi de emendatione sibi tenent appareat: 9 probato enim, vel sufficienter confessò, quod reus alicujus delicti de eo verè poeniterit, illudque emendaverit, malus in eodem delicto præsumi non amplius debet. can. Ferrum. 18. dist. 50. ibi: Non ergo in eo debet despicere, quod fuit; quia jam incipit esse, quod non fuit.

**A**ddit quintò Barb. in hac Reg. n. 9. verbum 10 semper in hac Regula sumi debere à tempore, quod semel malus extitit, non autem respectu temporis antecedentis: ut proin licet tabellio fallarius etiam in futurum præsumatur talis, indeque removeri debeat. l. si aliquid. C. de suscept. cum concord. non tamen præsumitur reus fallarius quoad instrumenta ante competentem falsitatem confessæ Et ex his,

**R**esp. II. Verus sensus Regulae sequens est: 11 Semel in aliquo genere delicti inventus malus, in eodem genere semper præsumitur malus præsumptione Juris tantum, vel hominis, nisi de verà emendatione sufficienter constet. Ratio Regulae est; quia ex præteritis præsumitur de statu præfenti & futuro. c. Mandata. 6. de Præsumpt. ibi: quia ex transacta in te vita discolimus, quid de subsequenti conversatione tua præsumamus, cum concord. hinc illi antiqui veruliculi:

Rumor de veteri faciet ventura timeri;  
Cras præterit fieri turpia sicut heri.  
Nec valet dicere: forsitan se jam plenè emendavit, & animum mutavit; quia emendatio est facti, consequenter non præsumitur, sed ex actibus contrariis probari debet. l. Et. 2. ff. de Probat.

Pariter non valet objicere illud tritum Juris: 12 Quilibet præsumendus est bonus, donec probetur malus. can. de Scribit. & l. 31. rind. §. 1. ff. pro socio. Resp. enim tritum illud procedere, quando actus malus non

non precessit, & bonam illam presumptionem non evertavit; hoc enim precedente presumptione de simili valet. donec emendatio, que tanquam facti non presumitur, probetur, cit. l. Et 2. ff. de Probat.

4. Queritur II. An, & que sint Fallentie, seu Exceptiones contra hanc Regulam? Resp. Eam juxta aliquos fallere 1. in genere diversi delicti juxta dicta n. 6. 2. in casu, quo quis in principio dantaxat, sed non in fine actus malus fuit, per dicta n. 8. 3. si de vera emendatione sufficienter constet, per dicta n. 9. Verum cum juxta dicta hi casus in Regula non comprehendantur, fallere contra eam proprie dici non possunt.

5. Obijciunt alii, & locò fallentie ponunt casum contumacie; semel enim contumax non semper presumitur contumax; cum peremptorie citatus, si non comparet, denuo citetur c. Ex litteris. 2. de Dolo & contum. quod necessarium non esset, si illum

in contumacia perseveraturum ritè presumeretur. Sed Resp. quòd secundo citati & non comparitis contumacia gravior sit, & gravioribus penis subijcitur, quam primò citati, indeque jura velint, ut per secundam citationem contumacia magis appareat: vel concedo in hoc casu fallentiam Regulæ.

Obijciunt ulterius: Juramenta calumnie, fidelitatis, & obedientie etiam à prius perjuri exiguntur & recipiuntur c. cum in Ecclesiis. 10. de Major. ergo semel perjurus non presumitur semper perjurus. Resp. cum Gloss. in cap. Cum in Ecclesiis. v. Juramentum. & Abb. n. 4. quòd procedere de Juramentis, que cedunt in præjudicium ipsius jurantis, illamque onere & obligatione gravant: non item in Juramentis cedentibus in jurantis commodum, & aliorum præjudicium; & in hoc sensu fallentia conceditur.

REGULA IX.

Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.

SUMMARIUM.

- 1. Regula unde desumpta?
- 2. Ratum habere proprie quid sit?
- 3. Regula intelligenda est de propria ratihabitione.
- 4. Probatur exemplo Juris.
- 5. Verus sensus Regule quis?
- 6. Afferuntur apparentes, sed non veræ Fallentie contra Regulam. & seqq.

Hæc Regula desumitur ex c. penult. de Sentent. excomm. in 6. & convenit cum l. Si pupilli. 6. §. Sed si ego 6. ff. de Negot. gest.

2. Queritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? Et quis verus illius sensus sit? Ante Responsum notandum: Ratum habere aliquid nil aliud esse, quam approbare, comprobare, confirmare, & ut suum agnoscere id, quod per alium nostro nomine gestum vel factum est, non habitò à nobis ad hoc faciendum mandatò, commissione, aut requisitione; seu quod per alium non procuratorem nostrum nomine nostro factum est. l. quod enim. 22. §. 1. ff. Ratum rem habere. qua ratihabitione rem, seu negotium gestum ita nostrum facimus, quasi à nobis ipsi gestum, aut ad id mandatam datum fuisset, uti dicitur in Regula statim sequenti ita sonante: Ratihabitionem retrahit, & mandato comparari non est dubium. Hoc notato,

3. Resp. I. Regula IX. dicens, quòd ratum habere, seu ratificare nemo possit illud, quod suo nomine factum non fuit intelligenda est de propria Juridica ratihabitione: seu ratificatione cum Juris effecta, que fitione Juris transfativa rem quasi à nobis gestam efficit, nostramque facit ac proin Juris effectus & obligationem nobis incumbentem inducit: Non verò de simplici ratihabitione, qua quodvis factum alienum non nostro sed alieno quocunque tandem nomine gestum approbare, gratum & ratum habere possumus, v. g. si quis tuum inimicum non tuo, sed alio nomine, vel ex proprio odio occidit, potes quidem factum homicidium simpliciter approbare, gratum & ratum habere (licet sic approbando pecces) tamen fitione Juris homicidium quasi à te factum, sicque tuum non redditur, nec poenas & obligationes ex homicidio confluentes contrahis. Ratio est; quia ad ratihabitionem juridicam proprie talem, seu quòd quis factum alienum ratum habeat in sensu Regule, essentialiter requiritur, ut factum sit nomine ratihabentis. arg. cit. p. null. de Excommun.

in 6. & l. si Pupilli cum concord. citatis à Tiraqueo de Retrad. lig. §. 1. Gloss. 9. n. 24. quo tanquam essentiali requisito deficiente ratihabitioni non datur, consequenter sic factum proprie & cum effectu Juris ratum haberi non potest id ipsum, quod dicit Regula.

Probatur & declaratur responso ulterius clarissimo multum allegabili exemplo Juris c. Cum quis. 23. de Sentent. Excomm. in 6. ibi: Cum quis absque tuo mandato manus iniecit in Clericum tuo nomine violentas, si hoc ratum habueris, excommunicationem latam à canone incunctanter incurris; cum ratihabitione retrahatur, & mandato debeat comparari. Si vero inieccio eadem tuo nomine non sit facta, tunc licet peccet ratam habendo eandem, non tamen propter hoc excommunicationis vinculo innodaris; cum quis ratum habere nequeat, quod suo nomine non est gestum.

Resp. II. Verus sensus Regule iste est: Nemo potest factum alienum proprie ratum habere cum effectu Juris, ita ut hujus fitione transfativa censeatur suum factum, indeque effectus Juris inducat & obligationes ratihabenti imponat, si tale factum non ratihabentis, sed suo proprio, vel alterius nomine peregit. Per rationes & jura jam allegata; cui accedit etiam illa ratio, quod si quis ratum habere valeret id, quod ipsius nomine non est gestum, facile præjudicium emergere posset tertio, cum quo negotium gestum est, cum is forsitan ex justa causa negotium cum tali habere noluisset, ac propterea, si scivisset, negotium nomine illius agi, à negotio, v. g. contractu abstinuisset.

Queritur II. An, & quales dentur fallentie circa hanc Regulam? Resp. Plures afferri à quibusdam, veluti Primò cum Lugdunensi. 10. cau. 9. q. 2. ubi habetur, quòd ordinati ab alieno Episcopo (certò ordinatio ipsius Ordinarii nomine facta non sit) possint ministrare in ordine suscepto, si proprius Episcopus ordinationem ratam habeat. Ex quo factis apparere videtur, ratihaberi posse etiam illa, que nomine nostro gestur non sunt.

Secundò. Vigore c. quod sicut. 28. v. quòd si de Elect. Capitulares adientes à presentibus non vocati, sed contenti ratificare possunt electionem, licet eorum nomine non fuerit celebrata.

Tertiò. c. Cum nos. 3. de his, que sunt à Prelatis sine consensu Capit. dicitur, quòd alienatio valeat, si eam ratam habeat Capitulum, est mihi ipse nomine, sed eo positive reclamante fuerit facta, ibi: nisi eam ratam postmodum habuisset.

Quartò.

9. Quartò. vi l. 1. ff. de Recept. & l. 1. C. de his, qui latron. receptores firam pantiuntur ex eo, quòd sua receptione videantur furta ratificare, licet eorum nomine facta non sint.

10. Verum præfata & similia quantumvis videantur adverteri Regulæ, eamque in illis fallere, re tamen bene inspecta eidem sufficienter conciliantur, si que hæc in illis fallere merito non existimatur. Et quidem ad tres primas apparentes Fallentias Resp. cum Gloss. hic: talia Jura non loqui proprie de ratificatione, sed de novo quodam consensu. Et meritò; quia cum ex dictis Ratihabitione proprie sumpta id operatur, ut ratificans per fictionem juris censeatur autor illius actus, quo suo nomine factum ratificavit, ac proin ex eo obligationem contrahat: hoc

autem non evenit in præmissis casibus, utpote in quibus aliquis actum suo nomine non factum, superveniente consensu approbat dantaxat, & quandoque confirmat, ( si nempe is à sola potestate & consensu hujus dependet ) Vide Laym. in c. For. qui de Tempor. Ordin. in 6. & c. prudentiam, de officio Judicis delegati. n. 2. Et sic intelligenda etiam venit Glossa in c. sicut 33. de Simon. dam ait: Et ita secundum canones possunt habere ratum, quòd non meo nomine gestum est.

Ad quartam de Receptoribus firam Resp. quòd eos, quia veniunt in partem præde, & fures occultant, cum eis consentire, illoque fovere potius, quam ipsorum rata habere furta censeatur. Pech. in hanc Reg. n. 2.

REGULA X.

Ratihabitionem retrahit, & mandato non est dubium comparari.

SUMMARIUM.

- 1. Regula unde desumpta?
- 2. Ratihabitione equiparatur mandato.
- 3. Er retrahitur ad tempus & locum, quòd actus nomine ratihabentis fuit gestus.
- 4. Ad quòd tamen requiritur primò ut sit Ratihabitione proprie talis.
- 5. Secundò: ut alius tempore, quo fuit gestus, potuerit à ratificante mandari.
- 6. Tertiò: & res tempore ratificationis adhuc sit integra.
- 7. Quartò: ut actus ab initio non fuerit invalidus.
- 8. Regule verus sensus quis? Declaratur exemplis: & seq.
- 10. Fallit Regula, si deest unum ex requisitis.
- 11. Item quando ad substantiam actus expressum requiritur mandatum.
- 12. Item quòd incurrendam irregularitatem.

Hæc Regula pariter desumitur ex c. penult. de Sent. excomm. in 6. Item ex l. si fundus. 16. §. 1. ff. de Pignor. & l. 1. §. de jectis. 12. ff. de vi & vi armata. cum Concordant. à Glossa relictis hic & intelligenda est de Ratihabitione propria in Regula precedente n. 3. jam declarata.

Queritur I. Quid proprie dicere velit hæc Regula? quomodo intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Eam proprie id dicere velles quòd, quando aliquis tuo nomine quid facit, etiam si te mandatam, vel commissionem id faciendi non habeat, tamen, si postea illud ratum habes, seu ratificas & approbas, idem fit, & idem sequantur Juris effectus; ac si mandatam, illud faciendi eidem expressè dedisses; consequenter propria ratihabitione expressò mandatam equiparatur per Jura n. 1. citata: quòd de omni actu & contractu, imò etiam de ipsis delictis intelligendum est, arg. cit. c. penult. de Sentent. excomm. in 6. & l. 1. §. de jectis. ff. de vi & vi armata. dummodo delictum sit tale, quòd nomine alterius committi potest: scus est in delictis, que nomine alterius fieri nequeant, ut sunt delicta libidinis, adulterium, stuprum &c. hæc enim sicut alteri demandari nequeant, ita etiam ab alio facta proprie ratihaberi non possunt, uti bene advertit Gloss. in cit. §. de jectis, v. Mandato.

Porro Ratihabitioni non tantum equiparatur mandato, sed etiam retrahitur tam ad tempus, quam locum, in quo actus nomine alterius fuit gestus, ita ut actus non primò à tempore ratificationis, sed jam à tempore & die, quo alterius nomine fuit gestus, validus esse, & effectum suum habere censeatur, uti

pro indubitato habet Regula nostra; patetque ex cit. l. si fundus. §. 1. ff. de Pignor. & propter contractum nomine suo gestum, & ratihabitioni non in loco ratihabitionis, sed in loco actus gesti quis forum fortitur, ut cum aliis bene advertit Barbol. in hanc Reg. n. 10. arg. l. cum decem. 71. §. 1. ff. de silur.

Verum ut Ratihabitione præfatos operetur effectus plura requiruntur, veluti primò, ut ratihabito sit proprie talis, quòd ratihabetur, seu approbatur actus verè nomine ratihabentis gestus, quia Ratum quis habere non potest, quòd ipsius nomine non est gestum, uti habet Regula præcedens.

Secundò, ut eo tempore, quo actus gestus est, potuerit à ratificante mandari: defectu cujus negotium nomine infantis, vel infirmi gestum ab illis etiam cessante impedimento ratihaberi nequit; quia ab eis tempore, quo gerebatur negotium, mandari non potuit. Barb. hic n. 2. & 3. Abb. in c. fin. de convers. in fin. cum communi aliorum. Et ratio est; quia ratihabito rei alicujus mandato comparari non potest, que mandari nequit.

Tertiò requiritur, ut tempore ratihabitionis res adhuc sit integra, id est, omnia adhuc in eo statu existant, in quo fidei tempore, quòd actus nomine alterius fuit gestus. Bart. in l. si uxore. §. si quis uxorem. 3. ff. de adult. Barb. hic n. 7. arg. c. quamvis 8. de Rescript. in 6. Hinc etiam non valet ratihabito, si intermedio tempore, aut alias jam fuit questum jus tertio, ut eidem injustè præjudicaretur. Barb. hic n. 8. cum communi aliorum. arg. c. quamvis. 5. & c. si pro te. 13. de Rescript. in 6. junctà l. si partem. 19. §. ult. ff. quemadmodum servitus.

Quartò requiritur, ut actus ab initio de Jure non fuerit invalidus ex defectu conditionis vel solemnitatis à mea potestate non dependentis, uti pro Regula universaliter ad propositum post Abbatem, & Innocentium in c. prudentiam. 21. de officio Judicis delegat. tradit ibidem Fagn. n. 2. Laym. in c. Nonnulli. 28. §. Sum. & alii. de Rescript. n. 4. ubi plura exempla ad propositum refert; quia ubi actus ab initio ita invalidus est, intrat Regula 18. Juris in 6. Non firmatur tractu temporis, quòd ab initio de Jure non subsistit.

Resp. II. Verus sensus Regule hic est: Quotumcunque aliquid ab alio nomine nostro gestum postea ratificamus, & approbamus, idem est, & eosdem habet effectus Juris, ac si à prius expressè fuisse mandatam, seu verum ad id dedissemus mandatam. Per Jura nam, 1. citata, patetque Juris exemplis: sic enim v. g. si quis rem aliquam sine meo mandato, nomine tantum meo emit, & possessionem ejus accipit; & ego postea ratam habeo, seu

D 3

sen ratifico, approbo emptionem, idem acquirō dominium & possessionem rei, ac si à Procuratore expressum mandatum ad id habente fuisset empti.

Item si quis sine meo mandato, nomine tamen meo percussit Clericum, & ego postea ratum habeo, aequè excommunicatus sum, ac si prius ad id dedissem mandatum, textu expresso c. penult. de Sentent. Excommuni. in 6. Sic rarius, si alius me etiam inficio, sed meo nomine aliquem deiecit à possessione, & ego hoc postea ratifico, perinde teneor interdicto unde vi ad possessionem restituendam & reparanda damna illata, sicut tenerer, si id à principio mandassem. c. Cum ad sedem. 15. de Restit. spoliat. l. 1. §. sed & si. 14. ff. de vi, & vi armata.

Quæritur II. An, & quæ dentur Fallentiæ circa hanc Regulam? Resp. Eam fallere primò in illis casibus, in quibus deest unum ex necessariis requisitis à n. 4. allegatis.

Secundò, quando expressum mandatum requiritur ad formam & substantiam actus, vel in vim authoritatis; cum ista per ratihabitionem non suppleantur. c. Cum dilecta. 22. de Rescript. & ibi Felin. num. 6. Barb. hic. num. 16. Surd. Decis. 159. num. 10.

Tertiò, Fallit quoad irregularitatem incurrentem ob homicidium per alium meo nomine factum, & à me ratificatum, uti docet Gloss. in can. si quis Viduam. 8. dist. 50. Covar. in Clement. si furiosus. p. 2. §. 1. n. 5. Barb. hic. n. 17. & alii ab eodem relati contra Navarr. in Manu. cap. 27. n. 233.

REGULA XI.

Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde desumpta?
2 Nomine Partium in Regula intelliguntur Actor & Reus. Actor quis dicitur? ibid.
3 Reus quis?
4 Quid intelligatur per verbum Jura?
5 Et quid per verbum obscura?
6 Verus sensus Regule quis?
7 Declaratur exemplis Juris.
8 Ratio Regule, & sensus illius.
9 Solvitur objectio.
10 Fallit Regula in causis favorabilibus.
11 Item in causis piis.
12 Et si actor est in possessione.

Hæc Regula desumitur ex l. Favorabiliores. 125. ff. de R. l. ibi: Favorabiliores rei potius, quam actores habentur. cui concordat c. Ex litteris. 3. de probat. ibi: cum promptiora sint Jura ad absolvendum, quam ad condemnandum, præterquam in liberali causa. Item c. Inter dilectos 6. de fide Instrum. in fin. ibi: cum obscura sunt jura partium, convenit contra eum, qui petitur est, judicari.

Quæritur I. Quomodo intelligenda sit Regula? Et qui verus illius sensus? Ante responsonem explicare prius oportet terminos in Regula positos. Notandum itaque per Partes in Regula intelligi Actorem & Reum; in omni siquidem judicio vel processu præter Judicem concurrunt Actor & Reus. Actor est & dicitur, qui alterum ad iudicium provocat, & rem aliquam ab eo præstandam petit. l. In tribus. 13. ff. de iudicis, qui propterea à petendo etiam Petitor nominatur cit. c. Inter dilectos. de fide Instrum. in fine. In processu autem Criminali Accusator vocatur.

Reus, in genere loquendo, non pro criminoso & delinquente sumitur, sed à Re, quæ ab eo petitur, sic nominatur, ita ut sensu Regule omnino ille dicatur Reus, à quo aliquid ab Actore etiam iniique petitur. c. foras de Verb. Signif. ibi: Reus à re, quæ petitur, nuncupatur; quia quamvis consensu sceleris non fit, Reus tamen dicitur, quamvis in iudicium pro re aliqua petitur.

Per verbum Jura intelliguntur Partium probationes, & defensiones, vel media ad probandum, vel se defendendum assumpta & producta; uti sunt depositio testium, instrumenta & scripturæ publicæ ac private, juramenta, confessio alterius partis, leges item & canones in vim probationis adducti.

Pech. ad hanc Reg. num. 4.

Per verbum obscura intelligitur, seu obscura Jura esse censentur, quando probationes, instrumenta, documenta, argumenta à partibus pro & contra producta ita sunt constituta, ut consideratis considerandis iudex prudenter discernere non valeat, sed merito dubius hæreat, pro quam parte genuina veritas & iustitia militet. Hs notatis.

Resp. ad quæstionem n. 2. positam, Regulam 6 in sequenti sensu, qui genuinus & verus est, intelligendam esse: Si partium Jura, id est, earum probationes & allegationes non sunt satis claræ seu manifestæ, sed dubiæ & obscuræ, seu ita constitutæ, ut iudex aequo animo consideratis considerandis prudenter discernere non possit, quem prævaleant, aut pro qua parte iustitia magis militet: Reo potius, quam Actori favere, consequenter illum à petitione Actoris absolvere debemus. Per Jura clara n. 1. allegata.

Declaratur Juris exemplis: sic enim si duo Judices ordinari super eadem causa cognoscant, & unus reum absolvat, alter verò condemnet eundem, quia Jura cententur obscura, absolutoria sententia Rei ob favorem ejusdem præferenda est. l. Inter pares. 28. ff. de Re iudicat. & l. Arrianus. 47. de Obligat. & Actio. Dynus in hanc Reg. n. 2. Sic pariter si ago contra Titium hypothecaria actione, & probò rem mihi esse obligatam à Domino: Titius verò probet, illam rem sibi eodem die à Domino fuisse obligatam, consequenter, etiam prius vel posterior non appareat, sed obscurum maneat, Titius tanquam reus absolvendus est. l. si debitor. 10. ff. de pignor. Sic in aliis causis civ libus si partium jura præfatto modo manent obscura, semper Reo magis quam Actori favendum, sicque Reus vel statim absolute absolvendus, vel saltem præ Actore subinde ad juramentum suppletorium admittendus est in causis dictum juramentum admittentibus juxta dicta Lib. II. Tit. XXIV. de Jurjur. à n. 191.

Præter Jura jam allegata Ratio universalis est; quia Reus invitus, & plerumque inopinatus, & impræparatus in iudicio comparere debet: cum contra Actor prius cunctis sibi necessariis & conducendis jam prævisis reum adhuc impræparatum ad iudicium inopinatè citari faciat, sicque plus illi quam huic favore æquitas possulet, uti cum aliis in hanc Regulam observat Barb. num. 3. præsertim cum suadente humanitatis ratione Jura promptiora sint ad absolvendum, quam condemnandum, cit. c. Ex litteris de probat.

Obijcitur contra Regulam: l. Si quis intentione. 66. ff.

Regula XI. Cum sunt Partium Jura obscura &c. 31

66. ff. de iudic. jubetur petitionem ambiguum Actoris in favorem ipsius interpretari; ergo non semper Reo, sed etiam Actori in dubio favendum est Respondet glossa, hanc legem intelligendam esse de initio causæ, non de fine ipsius, quando agitur de ejusdem decisione, circa quam observanda est Regula XI. Verum Barb. lo. cit. cum aliis rejecta opinione glossæ merito censet, Regulam ab initio, in medio & fine iudicii esse observandam, cum non loquatur de claritate vel obscuritate petitionis ab Actore factæ (quam utique non in illius odium, sed favorem interpretari oportet, arg. cit. l. si quis) sed de iurium ab utraque parte productorum obscuritate post sufficientem discussionem adhuc remanente, volens, ut hac stante semper Reo potius quam Actori faveatur per concordantia Jura n. 1. citata.

Quæritur II. An, & quæ dentur Fallentiæ contra Regulam? Resp. Eam fallere primò in casu quo actor ioveat causam favorabilem, puta pro matri-

monio, libertate, dote aut testamento; in huiusmodi enim casibus stante dubio actori potius quam reo favendum est, Barb. hic. n. 4. c. fin. de sentent. & re iudicat. juncto c. Ex litteris de probat. & aliis iuris civitatis à glossa hic, quæ hocse duos vericulos addit:

Stat testamentum, libertas, conjugium, dote, Si sunt æquales, qui producantur utrinque.

Fallit secundò in omni causa pia, si eam tuetur actor juxta Tiraquel. de Privileg. pie cause Privil. 146. cum seqq. Barb. lo. cit. Ratio est: quia causæ piæ etiam inter favorabiles causas veniunt.

Fallit tertiò, si actor est in possessione: in hac enim & ipse tuendus est donec de jure partis adversæ constet, c. Ex litteris. 3. v. Quid si de probat. & l. fin. C. de R. V. Ratio est; quia in possessione existens actor præter jura, quæ cum reo paria habere censentur, etiam militante pro se gaudet Regula 6. Juris in 6. In pari causa potior est conditio possidentis.

REGULA XII.

In Judiciis non est acceptio personarum habenda.

SUMMARIUM.

- 1 Regula unde desumpta?
2 Quid intelligatur in Regula per verbum in Judiciis?
3 Acceptio personarum quid?
4 Quando non exigente iustitia, sed ex mera libera voluntate quid confertur, potest sine acceptione personarum una præ alia respici.
5 Verus sensus Regule, quis?
6 Solvitur objectio.
7 Ponitur apparentes, sed non verè Fallentiæ contra Regulam. & n. seqq.

Hæc Regula conformis est præcepto Divino Deut. 1. ibi: quod iustum est iudicatis, sive civis sit ille, sive peregrinus: nulla erit distantia personarum, ita parvum audietis, ut magnum, nec accipietis cuiusquam personam; quia Dei iudicium est. Et traducta videtur ex c. Novit. v. Cœterum de iudicis. & c. Statutum. 11. §. Insuper. & ff. de Rescript. in 6. ac c. 1. de Sentent. & re iudicata. in 6.

Quæritur I. Quomodo hæc Regula intelligenda? & quis verus illius sensus sit? Resp. I. Verbum in Judiciis in hac Regula sumitur in lato sensu, ita ut nomine Judiciorum intelligantur non tantum discussio & definitio causæ inter actorem & reum controversæ, sed alii actus, quibus examinantur & iudicantur personarum jura, merita, qualitates in ordine ad iustitiam tam distributivam quam commutativam administrandam: in quo sensu vi Regule reprobat acceptio personarum non solum quando juxta iustitiam commutativam discutitur & iudicatur causa inter actorem & reum, sed & si discutuntur & iudicantur jura, merita, qualitates, habilitates &c. ad servandam iustitiam distributivam in conferendis beneficiis, officiis, dignitatibus, imponendis pro bono publico communibus oneribus &c. in quibus, uti in illis non est habenda acceptio personarum, seu non sunt attendendæ qualitates illius ad rem nihil facientes vel conferentes, sed id tantum, quod juxta jura, æquitatem & exigentiam rei, pro causa vel obiecto plus, minusve servit, uti cum aliis bene observat Dynus hic. n. 7. Barb. hic. n. 2. Strein. hic. n. 1. Vincentius Tauino Ord. Min. Reform. glossator Regula: un iuris solidus & clarus, hic. n. 8. & patet ex num. sequenti.

Per Acceptiōnem Personarum intelligit, & reprobatur Regula illud vitium, quod aliquid, quod exigente iustitia debetur uni, confertur vel adjudicatur alteri non intuitu juris vel meritorum hunc reo illo magis dignum vel aptum facientibus, sed ob aliquam personæ conditionem, aut qualitatem, quæ ad id, quod confertur, profus nil facit vel confert, v. g. quia pulcher, quia affinis, quia consanguineus est &c. sic committitur acceptio personarum contra Regulam, si iudex ei contra æquitatem adjudicat causam, quia illius affinis est; quæ affinitas profus nil faciat ad iustitiam causæ: item si quis alicui præ alio longè digniore confert Parochiam, quia ejus consanguineus est; quia consanguinitas nil confert ad Parochiam: item si quis alicui præ alio longè utilior confert officium publicum, quod bonum commune multum dependet, quia amat illum, vel reciprocè quia æstimatur aut amatur ab illo; cum nec passivus nec activus amor horum quidquam faciat ad officium publicum, uti bene advertunt DD. in præced. citati, estque in re etiam communis Theologorum acceptiōnem personarum sic explicantium.

Notanter autem dicitur, quod exigente iustitia commutativa nempe, vel distributiva, debetur uni, quia in casu, quo quis non ex iustitia, sed ex mera gratia & libera voluntate aliquid v. g. elemosinam tribuit, vel distribuit, non committit vitiosam acceptiōnem personarum, si unam personam v. g. consanguineam, gratam, amatam præ alia respicit, nisi ill vel minus aut plus quam alteri largitur, vel largiri facit, uti cum D. Thoma 2. 2. q. 63. Sylvestro v. Acceptio personarum. & aliis advertit Barb. hic. n. 4. id bene declaratans exemplo divino: sic enim atquequa Deus non ex debito iustitiæ, sed ex mera gratia, bonitate & benignitate dona sua & gratias prout vult, distribuit (si enim ex iustitia est debitor gratiæ, jam gratia non esset gratia) non dicitur acceptor personarum, quando præfata dona sua diversimodè, uni multa & magna: alteri modica & pauca, uni duo, alteri quinque talenta pro divino beneplacito suo distribuit; uti patet ex textu Evangelii apud Matth. 20. v. 15. aus non licet mihi, quod volo, facere. Hinc

Resp. II. Verus sensus Regule hic est: In Judiciis seu, quando ex iustitia commutativa, vel distributiva aliquid iudicandum vel distribuendum est, non est habendus respectus vel acceptio personarum, hoc est,